

mirabatur valde sompnium illud, nesciens tunc quid in eo portenderetur^{a)}). Modo vero Rogerio triumphum seu coronam adepti, presbyter sompnium illud reminiscens in eodem ipso asserit absque ulla ambiguitate completum, videlicet vitem illam cito exurgentem^{b)} citoque proruentem Guyllelmum ducem, qui vitam cito finivit, tumultum autem de loco vitis prodeuntem versumque in petram Rogerium in loco eius substitutum summamque regni consecutum fortitudinem significans. Cuius quoque coniecturam et nos verissimam approbantes, optimum duximus fore visionem istam subscribendam, uti ab omnibus^{c)}), ut iam dictum est, vere scietur Rogerium non fortuitu sed divine electionis gratia regiam in se suscepisse dignitatem. Si quis tamen ex his tribus sompniis verum aliquid esse ambiguerit, animus eius ad ambiguendum minime assentiat, quoniam si in eis aliquid dubitarem, a me litteris tam accuratius studiosiusque nequaquam retexerentur.

^{a)} protenderetur *Hs.*

^{b)} expurgentem *Hs.*

^{c)} omibus *Hs.*